

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XI - N. 1

1979

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOCNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1979

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam sacros Praesules nationis Canadensis	3
Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	8

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus</i>	
Procedura da seguire in caso di dimissioni di una religiosa di voti perpetui	14
<i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>	
<i>Vestmonasterien. De Legitimitate novarum Constitutionum</i>	18

ACTA COMMISSIONIS

<i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum</i>	
I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum	22
II. Coetus studiorum de Processibus	67

DOCUMENTA

De iuribus infantium (P. Card. Felici)	163
--	-----

NOTITIAE	171
--------------------	-----

SESSIO V
(diebus 11-16 decembris 1978 habita)

Adunatio diei 11 decembris 1978

TITULUS VI
DE PROCESSUS PUBLICATIONE
DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE

Can. 257 (CIC 1858-1859)

§ 1. *Ante causae discussionem omnes probationes quae sunt in actis et secretae permanerunt, sunt, sub poena nullitatis, publicandae.*


§ 2. *Publicatio processus fit concessa partibus earumque advocatis licentia acta iudicialia inspiciendi petendique eorum exemplar.*

— Suggestum est in inscriptione Tituli ut dicatur « De actorum publicatione ... », loco « de processus publicatione ».

Propositio omnibus Consultoribus placet, uno excepto, qui vellet « De probationum publicatione ... ».

— Nonnullae animadversiones factae sunt contra publicationem actorum quae in canone praecipitur sub poena nullitatis. Talis publicatio videtur periculosa quia difficiliores reddit relationes inter partes (quod gravissimum est si consideretur quod fere omnes causae sunt matrimoniales), quia etiam testibus exinde damna obvenire possunt, et quia in regionibus ubi iurisdictio Ecclesiae non agnoscitur deferri possunt ad tribunal civile, tamquam calumniosae, depositiones factae a partibus vel a testibus. Quandoque acta processus ecclesiastici adhibentur ad promovendam actionem poenalem contra partem vel testes apud tribunal civile.

Consultores censem tales animadversiones considerationem mereri et post brevem discussionem decernunt aliquam mitigationem praexcepti publicandi acta processus introducendam esse in canonem. Prae oculis habetur art. 130 § 2 Instr. « Provida Mater », ubi aliqua mitigatio admittitur circa publicationem nominum testium.



Consultores, collatis consiliis, ita canonem 257 mutant:

« § 1. Acquisitis probationibus, iudex decreto partibus et eorum advocatis permittere debet, sub poena nullitatis, ut acta nondum eis nota apud Tribunalis cancellariam inspiciant; quin etiam advocatis id potentibus dari potest actorum exemplar, nisi in causis ad bonum publicum spectantibus iudex ad gravissima pericula evitanda aliquod actum nemini tradendum esse censeat.

§ 2. Ad probationes complendas partes possunt alias probationes iudici proponere; quibus, si iudex necessarium duxerit, acquisitis, iterum est locus decreto de quo in § 1 ».

Can. 258 (CIC 1860)

§ 1. *Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa devenitur.*

§ 2. *Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.*

§ 3. *De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.*

— In § 2 delentur verba « a iudice interrogatae », quia superfluae. Praeterea dici debet « adducendum », loco « deducendum ».

Can. 259 (CIC 1861)

§ 1. *Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi servatis praescriptis can. 217.*

§ 2. *Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit.*

— Loco huius canonis collocari hic debet can. 217, uti dictum est quando agebatur de testimoniorum evulgatione in Sessione praecedenti. Textus canonis 217 hic est:

§ 1. *Evulgatis ad normam can. 214 testimonii, iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare vel alias probationes, quae antea non fuerint petitae, disponere tantummodo:*

1) *in causis, in quibus agitur de solo privato partium bono, si omnes partes consentiant;*

2) *in ceteris causis, auditis partibus et dummodo gravis(sima) exstet ratio et quodlibet fraudis vel subornationis periculum removeatur;*

3) *in omnibus causis, quoties veri simile est, ne, nisi probatio nova admittatur, sententia iniusta futura sit propter rationes, de quibus in can. 299, § 2, nn. 1, 2, 3.*

§ 2. *Potest autem iudex iubere vel admittere ut exhibeat docu-
mentum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non
potuit.*

— Attenta nova collocatione, initio canonis ita dici debet: « Post conclusionem in causa, iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare ... ».

— In § 1, n. 2 Consultores praferunt ut dicatur « *gravis* », non vero « *gravissima* ».

— Consultores praeterea addunt § 3 ita redactam: « *Novae pro-
bationes publicentur, servato can. 257, § 1* ».

Can. 260 (CIC 1862)

§ 1. *Facta conclusione in causa, iudex partibus congruum tempo-
ris spatum praestituat ad defensiones suas vel animadversiones exhi-
bendas.*

§ 2. *Hic terminus prorogari a iudice potest, instante una parte,
aliis auditis; vel etiam coarctari, consentientibus tamen omnibus.*

— Consultoribus placet expungere ex § 1 verba « *partibus* » et « *sus* », quae superflua videntur.

— Deletur § 2, attenta novissima recognitione can. 69, in Sessione praecedenti facta.

Can. 261 (CIC 1863-1864)

§ 1. *Defensiones et animadversiones scriptae sint, nisi disputatio-
nem pro tribunali sedente iudex, consentientibus partibus, satis esse
censeat.*

§ 2. *Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimantur,
praevia iudicis licentia requiritur, salva secreti obligatione, si qua sit.*

§ 3. Quoad extensionem defensionum, numerum exemplarium, aliaque huiusmodi adiuncta, servetur ordinatio tribunalis.

— Aliquis Consultor vellet ut, pro regula, defensiones et animadversiones orales sint, nisi iudex aliter censeat.

Alii Consultores autem praferunt ut scriptae sint, quia hoc modo iudici commodum praebetur ut illas attente ac maturius perpendat, antequam ad sententiam deveniat. Canon manet uti est.

Can. 262 (CIC 1865)

§ 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus, utriusque parti responsiones exhibere licet, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in cann. 260, § 2 et 261.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censemur.

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum repli-
candi partium responsionibus.

— Consultoribus placet in § 1 delere verba « et servatis regulis et cautelis de quibus in cann. 260 § 2 et 261 », quia can. 260 § 2 suppressus est et collatio can. 261 videtur superflua.

Can. 263 (CIC 1866)

§ 1. Caveant partes et advocati ne ad aures iudicis notitias praebant quae extra acta causae maneant, inscia altera parte.

§ 2. Si causae discussio scripto facta sit, iudex potest admittere ut moderata disputatio fiat ore pro tribunali sedente, ad quaestiones non nullas illustrandas.

§ 3. Discussioni assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ex continenti referre.

— Brevis disceptatio habetur inter Consultores an vetitum de quo in § 1 dari debeat partibus, vel iudici. Tandem melior videtur Consultoribus formula impersonalis et generalis hoc modo redacta:

« § 1. Omnino prohibentur partium vel advocatorum vel etiam aliorum informationes ad iudicem, quae extra acta causae maneant ».

— Suggestum est ut in § 2 dicatur « statuere » loco « admittere » (placet omnibus).

— De sententia cuiusdam Consultoris norma § 3 valere debet etiam de discussione orali praevisa in can. 261 § 1, ideo Consultores decernunt ut haec norma sit canon novus 263 bis, his verbis redactus:

« Disputationi orali de qua in cann. 261 § 1 et 263 § 2 assistat notarius ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, de disceptatis et conclusis scripto incontinenti referat ».

Can. 264 (CIC 1867)

Si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare, requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae et defensoris vinculi, si iudicio intersint.

De sententia alicuius organi consultationis addi posset iudicem habere facultatem statuendi novum terminum intra quem partes suas defensiones deferant vel scripto dicant se illis renuntiare. Consultores respondent id vi canonis non prohiberi. Canon ergo manet uti est.

Adunatio diei 12 decembris 1978

**TITULUS VII
DE IUDICIS PRONUNTIATIONIBUS**

Can. 265 (CIC 1868)

Causa iudicali modo pertractata, si sit principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam; si sit incidens, per sententiam interlocutoriam.

— Aliquis Consultor meminit vi can. 245 causas incidentes definiri posse etiam per decretum, quare in fine can. 265 opportune addi potest: « firmo praescripto can. 245 § 1 » (omnibus placet).

Can. 266 (CIC 1869)

§ 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. *Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.*

§ 3. *Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.*

§ 4. *Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 131, § 2.*

— Consultor quidam animadvertisit in nostro schemate probationes legales deminutas esse; consequenter deleri possent in § 3 verba « nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis ». Alter Consultor vult retinere illa verba, secus nimis conceditur discretioni iudicis.

Tertius Consultor vero dicit illa verba substantialiter retinenda esse, dummodo ne ponantur uti exceptio taxativa per illud verbum « nisi ».

Alii concordant cum tertio Consultore et ideo illa clausula ita mutatur: « firmis praescriptis legis de efficacia alicuius probationis ».

— Expungi debent ex § 4 verba « et salvo praescripto can. 131 § 2 », quia can. 131 suppressus fuit.

Can. 267 (CIC 1871)

§ 1. *In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum convenient, collegii praeses constitutus; et nisi peculiaris causa aliud sua-deat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.*

§ 2. *Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.*

§ 3. *Postquam divinum Nomen invocatum sit, prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.*

§ 4. *In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.*

§ 5. *Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum con-*

ventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet, nisi ad normam can. 259 complenda sit causae instructio.

— Suggestum est ut in § 1 dicatur « statuat » loco « constituat » (omnibus placet).

— In § 2 dici debet « ... et rationes tam in iure quam in facto ».

— Suggestum est ut expungatur ex § 3 verbum « moderata » (omnibus placet).

— Aliquis Consultor proponit ut deleatur § 4, quia res est obvia (omnibus placet).

— Ex § 5 expungitur verbum « hanc » quia superfluum. Praeterea Consultores communi consilio ita formulam mutant: « ... differri poterit decisio ad novum conventum, non tamen ultra hebdomadam, nisi ad normam can. 259 complenda sit causae instructio ».

Can. 268 (CIC 1872)

§ 1. *Si iudex sit unicus, ipse sententiam exarabit.*

§ 2. *In tribunali collegiali ponentis seu relatoris est exarare sententiam ad normam can. 28, desumendo motiva ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicium praefinita fuerint motiva praferenda; sententia dein singulorum iudicium subiicenda est approbationi.*

§ 3. *Sententia edenda est non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi, in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerint.*

— Expungi debent ex § 2 verba « ad normam can. 28 », quae superflua videntur.

— Suggestum est ut in § 2 addatur praeceptum transmittendi ad tribunal appellationis, quando fit appellatio, tum sententiam tum vota et conclusiones iudicium, qui contra sententiam fuerunt.

Relator censet hoc praeceptum, si daretur generali modo et taxative pro omnibus, esset intolerabile et invisum forsitan ipsis iudicibus qui votum contrarium dederunt. Ipse potius proponit ut non deleatur can. 267 § 4 et ita compleatur: « In discussione ... recedere. Iudex vero qui ad decisionem aliorum accedere noluit, exigere potest quod, si fiat appellatio, sua conclusiones ad tribunal superius transmittantur ».

Propositio Relatoris omnibus placet.

Can. 269 (CIC 1873)

Sententia debet:

- 1) *definire controversiam coram tribunali agitatam, data singulis dubiis congrua responsione;*
- 2) *determinare quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implendae sint;*
- 3) *continere rationes seu motiva quae dicuntur, tam in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur;*
- 4) *statuere de litis expensis.*

— Suggestum est ut expungantur ex n. 3 verba « quae dicuntur » (omnibus placet).

Can. 270 (CIC 1874)

§ 1. *Sententia, post divini Nominis invocationem, exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, pars conventa, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.*

§ 2. *Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.*

§ 3. *Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.*

§ 4. *Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii.*

— De sententia alicuius organi consultationis superfluum videtur in textu sententiae referre omnia elementa de quibus in § 1, quia illa elementa iam habentur in actis processus. Suggestio Consultoribus non placet, quia partibus non traduntur acta sed sententia.

— In § 1 dici debet « ... nominibus et domiciliis rite designatis ... ».

— Consultor quidam crisim movet de verbis « partium conclusiōnibus », quae habentur in § 2, quaeque ipsi obscura apparent; potius quam de conclusionibus, loqui debet de petitionibus partium; textus tamen clarior erit si dicatur « ... facti speciem et dubia a partibus concordata ».

Alter Consultor animadvertis conclusiones seu petitiones partium non semper coincidere cum dubiis concordatis.

Post brevem discussionem, Relator proponit an placeat dicere: « Referre ... facti speciem cum partium conclusionibus et formula dubiorum » (placet 7, non placet 1).

— In § 4 dici debet « ... iudicis vel, si de tribunali collegiali agatur, omnium iudicum et notarii ».

— Suggestum est ut in canone addatur § 5 qua edicatur sententiae addendam esse notificationem circa impugnations quibus sententia impugnari potest.

Suggestio haec placet Consultoribus, qui tamen de ea rationem habere potius volunt in can. 272.

Can. 271 (CIC 1875)

Regulae superius positae pro sententia definitiva sententiae quoque interlocutoriae aptandae sunt.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 272 (CIC 1876)

Sententia quamprimum publicetur; neque ante publicationem vim ullam habet, etiamsi dispositiva pars, iudice permittente, partibus significata sit.

— Ex suggestione supra relata, Consultores ita canonem mutant: « Sententia quamprimum publicetur, indicatis modis quibus impugnari potest; neque ante publicationem ... ».

Adunatio diei 13 decembris 1978

Can. 273 (CIC 1877)

Publicatio seu intimatio sententiae fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus aut earum procuratoribus; vel eisdem transmittendo idem exemplar modis recensis in can. 148.

— Aliquis petiit ut represtinetur aliis modus publicandi sententiam ut nempe citentur partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente.

Consultores praeferunt canonem immutatum servare, quia opportunum et aequum videtur quod partes sententiam *scriptam* habeant.

— In fine canonis dici debet « ad normam can. 145 » loco « modis recensitis in can. 148 ».

Can. 274 (CIC 1878)

§ 1. *Si in sententiae textu vel error irrepserit in calculis vel error materialis acciderit in dispositiva parte transcribenda aut in factis vel partium petitionibus referendis vel omissa sint quae can. 270 § 4 requirit, sententia ab ipso tribunal, quod eam tulit, corrigi vel compleri debet sive ad partis instantiam sive ex officio, semper tamen auditis partibus et decreto ad calcem sententiae apposito.*

§ 2. *Si qua pars refragetur, quaestio incidens decreto definiatur.*

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 275 (novus)

Ceterae iudicis pronuntiationes, praeter sententiam, sunt decreta; eaque vim non habent, nisi saltem summarie motiva exprimant, vel ad motiva in alio actu expressa remittant.

— De sententia alicuius organi consultationis, verba « vel ad motiva in alio actu expressa remittant » contradicere videntur responsio nem Pont. Comm. Decr. Conc. Vat. II Interpretandis, die 14-2-1974 datam, in qua requirebatur ut, ad instar sententiae, rationes in iure et in facto contineat decretum.

Consultor quidam delere vellet illa verba, sed alii Consultores nolunt, quia per remissionem ad motiva in alio actu expressa sufficienter satis fit necessitat, quae etiam in illa responsione Commissionis affirmatur, ut nempe decretum semper rationes contineat. Ceterum novus canon respicit ius condendum, non ius conditum.

— Suggestum est ut canon compleatur addendo haec verba « exceptiuntur illa decreta quae ordines tantum sunt ut processus progressiatur ».

Consultores huic suggestioni innixi, ita formulam canonis mutant: « Ceterae iudicis pronuntiationes, praeter sententiam, sunt decreta, quae, si mere ordinariae non sint, vim non habent ... ».

— Nonnulli proposuerunt ut alia § addatur qua edicatur decreto

addendam esse notificationem de impugnationibus quibus decretum impugnari potest.

Propositio haec, quae recepta est quoad sententiam, non placet quoad decreta, quia non necessaria videtur talis sedulitas tribunalis quoad actum quod non pertinet ad partes substantiales processus.

TITULUS VIII DE IMPUGNATIONE SENTENTIAE

Art. 1

DE QUERELA NULLITATIS CONTRA SENTENTIAM

Can. 276 (novus)

Nullitates actorum, positivo iure statutae, quae, cum essent notae, non sint ante sententiam iudici denuntiatae, censentur ab ipsa sententia sanatae.

— Nonnulli conquesti sunt de nova inscriptione huius tituli, « de impugnatione » scilicet loco « de remediis », eo quod nova rubrica sapit nimis ius civile et non bene aptatur indoli iuris canonici de promovenda iustitia et caritate, minime vero de « pugna » facienda.

Consultoribus placet rubrica uti est, quia magis technica ipsis videtur.

— Aliquis Consultor proponit ut initio canonis dicatur: « Firmis cc. 279-280, nullitates ... »; oportet scilicet salvare canonem qui enumerat quando sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, secus institutum querelae nullitatis evacuatur. Haec suggestio omnibus Consultoribus placet.

— Ipse Consultor proponit ut deleantur verba « cum essent notae », contradictoribus vero omnibus aliis Consultoribus.

— De verbis « cum essent notae » nonnulli quaesierunt quibusnam innotescere debuerint illae nullitates? Qua de causa unus Consultor, consentientibus aliis, proponit ut dicatur « cum essent notae parti querelam proponenti ».

His omnibus disceptatis, ita canon redigitur:

« Fermo can. 279 et 280, nullitates actuum, positivo iure statutae, quae cum essent notae parti querelam proponenti, non sint ... ».

Can. 277 (CIC 1892)

Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, si:

- 1) *lata est ab eo, qui careat potestate iudicandi in tribunali in quo causa tractata est;*
- 2) *iudicium factum est sine iudicali petitione, de qua in can. 137, vel non fuit adversus aliquem conventum;*
- 3) *iudex vi vel metu gravi et iniusto coactus sententiam tulit;*
- 4) *controversiam ne ex parte quidem definivit.*

— Animadversiones, quae ab organis consultationis circa hunc canonem (et circa can. 279) factae sunt, nimis differunt inter se, cum vitium nullitatis sententiae singuli repeatant ex criteriis diversis ex. gr. ex iure naturali, vel ex eo quod ad sanandam sententiam requiratur processus ex novo vel ex parte et ita porro ...

Nonnulli praebuerunt novas redactiones canonis, diversis diversa tamen proponentibus circa indicem vitiorum nullitatis insanabilis.

Ipsi Consultores, post aliquam discussionem, censem indicem nullitatum sive sanabilium sive insanabilium revisendum esse, abstractione facta a quaestionibus iuris naturalis vel non, sed niti potius criterio practico ut nempe dicantur vitio nullitatis insanabilis laborare illae sententiae quae ita aliquo defectu affectae sint ut non videatur neque decursu temporis sanari posse; illae autem quae videantur decursu temporis sanari posse, dicantur vitio nullitatis sanabilis laborare.

Ideo Consultores communi consilio seligunt nullitates insanabiles et ita can. 277 redigunt:

« Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat quando:

- 1) *lata est a iudice absolute incompetenti;*
- 2) *lata est ab eo qui careat potestate iudicandi in tribunali in quo causa definita est;*
- 3) *iudex vi vel metu gravi coactus, sententiam tulit;*
- 4) *iudicium factum est sine iudicali petitione, de qua in can. 137, vel non institutum fuit adversus aliquam partem conventam;*
- 5) *lata est inter partes, quarum altera saltem non habeat personam standi in iudicio;*
- 6) *quis nomine alterius egit sine legitimo mandato;*
- 7) *ius defensionis alterutri parti denegatum fuit;*
- 8) *controversiam ne ex parte quidem definivit ».*

Adunatio diei 14 decembris 1978

Can. 278 (CIC 1893)

Nullitas de qua in can. 277 semper proponi potest ad modum actionis coram iudice qui sententiam tulit vel ad modum exceptionis.

— Suggestum est ut dicatur initio « *Querela nullitatis de qua ...* » (placet omnibus).

— De sententia alicuius organi consultationis nimium videtur quod nullus terminus imponatur ad proponendam querelam nullitatis per modum actionis. Consultoribus placet haec propositio et statuere proponunt terminum decem annorum.

His dictis, formula canonis ita mutatur:

« *Querela nullitatis de qua in can. 277 proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra decem annos a die publicationis sententiae* ».

Haec formula omnibus Consultoribus placet, uno excepto, qui vellet ut in canone loqueretur prius de querela per modum actionis et postea de ea per modum exceptionis.

Can. 279 (CIC 1894)

Sententia vitio sanabilis nullitatis dumtaxat laborat, quando:

- 1) *lata est a iudice absolute incompetenti vel a non legitimo iudicium numero contra praescriptum can. 24, § 1;*
- 2) *lata est inter partes quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;*
- 3) *quando quis nomine alterius egit sine legitimo mandato;*
- 4) *si motiva seu rationes decidendi non contineat;*
- 5) *si subscriptionibus careat iure praescriptis;*
- 6) *si actui iudicali, qui sit nullus, innitatur, cuius nullitas non sit ad normam can. 276 sanata;*
- 7) *in casu legitimi impedimenti de quo in can. 249, § 2.*

— Consultores communi consilio seligunt nullitates sanabiles et ita canonem redigunt:

« Sententia vitio sanabilis nullitatis dumtaxat laborat quando:

- 1) lata est a non legitimo numero iudicum contra praescriptum can. 24 § 1;
- 2) motiva seu rationes decidendi non contineat;
- 3) subscriptionibus careat iure praescriptis;
- 4) non refert indicationem anni, mensis, diei et loci in quo prolatam fuit;
- 5) actu judiciali, qui sit nullus, innitatur, cuius nullitas non sit ad normam can. 276 sanata;
- 6) lata est contra partem legitime absentem iuxta can. 249 § 2 ».

Can. 280 (CIC 1895)

Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 279 proponi potest intra tres menses a notitia publicationis sententiae, nisi lex particularis aliud statuat.

— Suggestum est ut addatur in canone: « termino hoc elapso nullitates de quibus in can. 279 ipso facto sanantur ».

Propositio haec placet alicui Consultori, aliis autem Consultoribus additio non videtur necessaria.

— Relator proponit ut deleantur verba « nisi lex particularis aliud statuat » (omnibus placet).

Can. 281 (CIC 1896)

De querela nullitatis videt ipse iudex qui sententiam tulit; quod si pars vereatur ne iudex qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeciputum animum habeat ideoque eum suspectum existimet, exigere potest ut alius iudex, sed in eadem iudicii sede, seu in eodem iurisdictionis gradu in eius locum subrogetur ad normam can. 51.

— Consultor quidam proponit ut in fine canonis deleantur verba « sed in eadem iudicii sede, seu in eodem iurisdictionis gradu », quia sufficit remissio ad can. 51, ubi decernitur quod, admissa recusatione, iudicii gradus mutari non debet. Propositio omnibus placet.

Can. 282 (CIC 1895)

Querela nullitatis proponi potest una cum appellatione, intra terminum ad appellationem statutum.

— Suggestum est ut addatur: « quo in casu videt de ea iudex appellationis et, si admittatur querela, iudicat causam tamquam in primo gradu ». Suggestio non placet Consultoribus ob difficultates quae obvenirent adeundi tribunal tertii gradus in casu ulterioris appellationis.

Can. 283 (CIC 1897)

§ 1. *Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties ipsis ius est interveniendi.*

§ 2. *Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminum ad agendum canone 280 statutum, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis iuxta can. 282 interposita fuerit, aut nullitas sanata sit per decursum termini de quo in can. 280.*

— Nonnulli proposuerunt ut in § 2 addatur: « Ipse iudex potest, auditis partibus et promotore iustitiae, sententiam nullam ... ».

Suggestio non placet Consultoribus, quia in casu ipse iudex ex iustitia agit.

— Consultoribus superflua videntur verba « iuxta can. 282 ».

Can. 284 (novus)

Causae de querela nullitatis secundum normas de processu summario tractari possunt.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Art. 2

DE APPELLATIONE

Can. 285 (CIC 1879)

Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus eorum praesentia requiritur, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem, salvo praescripto can. 286.

De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 286 (CIC 1880)

§ 1. *Non est locus appellationi:*

- 1) *a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae vel a sententia S. Romanae Rotae lata videntibus omnibus;*
- 2) *a sententia vitio nullitatis infecta nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam can. 282;*
- 3) *a sententia quae in rem iudicatam transiit;*
- 4) *a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habent vim sententiae definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;*
- 5) *a sententia in causa de qua ius cavit expeditissime rem esse definiendam;*
- 6) *a sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam a iure particulari praefinitam;*
- 7) *si quis, post sententiam publicatam seu intimatam, in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.*

§ 2. *Sententia interlocutoria vel decretum vim sententiae definitivae habent, si iudicio ipsi vel alicui iudicii gradui finem ponunt, quod attinet ad alias saltem partes in causa.*

— Suggestum est ut expungantur ex n. 1 verba « vel a sententia S. Romanae Rotae lata videntibus omnibus ». Consultores accedunt huic propositioni quia notio decisionis Rotae Romanae « videntibus omnibus » non habetur in nostro schemate (cf. c. 44) et ideo bene est ut tota materia praebeatur in regula propria Rotae Romanae.

— Duo Consultores repristinare vellent n. 2 can. 188 CIC, id est non esse locum appellationi « a sententia iudicis qui a S. Sede delegatus est ad videndum causam cum clausula *appellatione remota* ». Alii Consultores non concordant, quia in nostro schemate non fit sermo de tribunal delegato. Quoad substantiam nihil mutatur, quia ambitus delegationis et inappellabilitas sententiae et alia quae opportuna videntur exprimi debent in actu collationis mandati.

— Suggestum est ut in n. 5 addatur « a sententia vel a decreto in causa ... » (placet omnibus).

— De sententia alicuius organi consultationis, casus de quibus in n. 6 sunt tam rari, ut melius sit etiam pro illis viam ordinariam relinquare de appellatione.

Propositio placet et ideo n. 6 deletur.

— Aliquis Consultor proponit ut deleatur n. 7, ita ut illi qui appellationi renuntiavit, pateat facultas appellandi si ipse ita censeat. Propositio omnibus placet.

— Consultor quidam proponit ut § 2 ita emendetur: « ... vim sententiae definitivae habent, si iudicium impediunt vel ipsi iudicio aut alicui ipsius gradui finem ponunt, quod attinet ad aliquam saltem partem in causa » (omnibus placet).

— § 2 erit can. 275 bis.

Can. 287 (CIC 1881-1882)

§ 1. *Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolatata sit, intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium a notitia publicationis sententiae.*

§ 2. *Si ore fiat, notarius eam scripto coram ipso appellante redigat.*

— De terminis ad appellandum organa consultationis diversimode sentierunt, aliis potentibus ut breviores termini, aliis ut longiores termini statuantur, quare Consultoribus melius videtur ut textus canonis servetur.

— Iuxta sententiam cuiusdam organi consultationis libellus appellatorius referre deberet, saltem summarie, motiva appellationis. Haec sententia Consultoribus non placet, quia in hoc stadio sufficit ut pars se gravatam putet et agat intra terminos statutos.

— Aliquis Consultor proponit ut in fine § 1 addatur: « indicato tribunal ad quem ». Propositio non placet aliis Consultoribus, quia de re providetur per can. 289, § 1.

Can. 288 (novus)

Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis.

— Consultor quidam, suggestiones quorundam organorum consultationis accipiens, proponit ut canon ita redigatur:

« Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat expeditissime tribunal appellationis iuxta normas processus summarii » (placet omnibus).

Can. 289 (novus)

§ 1. *Si plura sint tribunalia appellationis competentia, neque in ipsa appellatione indicetur ad quod tribunal ipsa dirigatur, iudex appellantem invitet ad designationem intra decem dies faciendam; quibus inutiliter transactis appellatio deficit.*

§ 2. *Si alia pars ad aliud tribunal appellationis provocaverit, de omnibus appellationibus illud videt, quod superioris est gradus.*

— Consultores, animadversiones cuiusdam organi consultationis recipientes, ita § 1 redigunt: « Si in appellatione non indicetur ad quod tribunal ipsa dirigatur, praesumitur facta tribunali de quo in cann. 39 et 40 ».

— Suggestum est ut in § 2 competentia statuatur ratione praeventionis. Suggestio placet et ideo duo Consultores ita canonem mutare proponunt: « Si alia pars ad aliud tribunal appellationis provocaverit, de causa videt quod superioris est gradus, salvo can. 15 » (placet omnibus).

Adunatio diei 15 decembris 1978

Can. 290 (CIC 1884)

Receptam appellationem iudex intra decem dies ad tribunal appellationis una cum sententia transmittat; et quamprimum cetera transmittat, quae ad normam can. 80 transmittere debet.

— De sententia alicuius organi consultationis resumi debet norma de prosequenda appellatione (cf. CIC can. 1883), secus adest periculum quod causa evadat deserta. De hac quaestione habetur discussio inter Consultores, qui pro maiori parte favent normae de prosequenda appellatione, adversantibus autem duobus Consultoribus.

Deinde fit suffragatio an placeat resumere normam de prosequenda appellatione: placet 6, non placet 2.

Attento exitu suffragationis, Consultores decernunt ut deleatur can. 290 et eius loco sequentes canones ponantur:

Can. 290 (CIC 1883): « Appellatio prosequenda est coram iudice *ad quem* dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit ».

Can. 290 bis (CIC 1884). « § 1. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem, adjuncto exemplari huius sententiae et indicatis appellationis rationibus.

§ 2. Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali *a quo* obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui iudicem *a quo* praecepto obstringat officio suo quamprimum satisfaciendi.

§ 3. Interea iudex *a quo* debet acta ad normam can. 80 iudici appellationis transmittere ».

Can. 290 ter (CIC 1886): « Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice *a quo*, sive coram iudice *ad quem*, deserta censetur appellatio ».

Can. 291 (CIC 1885)

§ 1. *Si, appellatione nondum interposita, intra terminum ad appellandum utilem pars moriatur, aut statum mutet, aut cesset ab officio cuius ratione agit, sententia debet iis quorum interest denuntiari; iis concessi intelleguntur termini a iure statuti ad appellandum, a die receptae denuntiationis computandi.*

§ 2. *Si casus, de quibus in § 1, evenient postquam appellatum sit, appellatio interposita iisdem denuntietur, et servetur praescriptum can. 159, n. 1.*

— Consultor quidam censet hunc canonem deleri posse, quia fere omnes causae sunt matrimoniales et onus appellandi incumbit defensori vinculi. Praeterea de prosecutione causae in casu mortis partis litigantis sufficienter cavetur per can. 159. Alii Consultores concordant ut deleatur can. 291.

Can. 292

§ 1. *Appellans potest appellationi renuntiare cum effectibus, de quibus in cann. 165-166.*

§ 2. *Si appellatio proposita sit a vinculi defensore vel a promotore iustitiae, renuntiatio fieri potest, nisi lex aliter caveat, a vinculi defensore vel promotore iustitiae tribunalis appellationis.*

— Suggestum est ut § 1 ita mutetur: « ... cum effectu de quo in can. 297 n. 3, nisi etiam alia pars appellaverit ».

Propositio vero non placet Consultoribus.

— In § 1 dici debet « ... de quibus in can. 166 ».

Can. 293 (CIC 1887-1888)

§ 1. *Appellatio facta ab actore prodest etiam convento, et vicissim.*

§ 2. *Si plures sunt conventi vel actores et ab uno vel contra unum tantum ex ipsis sententia impugnetur, impugnatio censetur ab omnibus et contra omnes facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis, nisi tamen appellatio facta sit propter rationes quae ad aliquas tantum partes attineant.*

§ 3. *Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare intra terminum peremptorium quindecim dierum a die quo ipsi appellatio principalis notificata est; idque facere potest etiam sub condicione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.*

§ 4. *Nisi aliud constet, appellatio praesumitur facta contra omnia sententiae capita.*

— Consultores decernunt ut ex § 2 expungantur verba « nisi tamen appellatio facta sit propter rationes quae ad aliquas tantum partes attineant ». Id ex suggestione alicuius organi consultationis.

Item ut ex § 3 expungantur verba « idque facere potest etiam sub conditione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit ».

Can. 294 (CIC 1889)

Appellatio execucionem sententiae suspendit.

— Aliquis Consultor proponit ut addatur « nisi aliud iure caveatur », sed alii Consultores sunt contrarii. Ceterum etiam in novo iure poenali recursus contra poenam est in suspensivo.

Can. 295 (CIC 1891)

§ 1. *In gradu appellationis non potest admitti nova petendi causa, ne per modum quidem utilis cumulationis; ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformatur sive ex toto sive ex parte.*

§ 2. Novae autem probationes admittuntur tantum ad normam cann. 217 et 355.

— Ex suggestione quorundam organorum consultationis, initio canonis additur: « Salvo praescripto can. 349, in gradu appellationis ... ».

— Attenta novissima recognitione supra facta, in § 2 dici debet: « ... ad normam can. 259 ».

Can. 296 (novus)

In gradu appellationis eodem modo, quo in prima instantia, congrua congruis referendo, procedendum est; sed, nisi forte complendae sint probationes, statim post litem ad normam can. 295, § 1 contestatam ad causae discussionem deveniatur et ad sententiam.

— In canone dici debet: « ... statim post litem ad normam cann. 154 § 1 et 259 § 1 contestatam ».

* * *

Suggestum est ab aliquo organo consultationis ut omnes causae contentiosae in gradu appellationis videantur secundum normas de iudicio summario, ideoque deberent hic addi praecipuae normae quae in schemate praebentur in cann. 318-334 (De processu contentioso summario), ita ut describatur hic evolutio processus appellationis.

Consultoribus propositio non placet, ne fiat transitus a technica de processu scripto ad technicam de processu orali, qui transitus non videatur opportunus praesertim quoad causas matrimoniales.

De sententia alicuius Consultoris, praeterea, finis huius transitus ut nempe processus breviores evadant, difficulter assequi posset, quia oportet pro processu summario noviter probationes colligere.

TITULUS IX
DE RE IUDICATA
ET DE IMPUGNATIONIBUS CONTRA IPSAM

Art. 1
DE RE IUDICATA

Can. 297 (CIC 1902)

Res iudicata habetur:

- 1) *si duplex intercesserit inter easdem partes sententia conformis de eodem petito et ex eadem causa petendi, firmo praescripto can. 307;*
- 2) *si appellatio adversus sententiam non fuerit intra tempus utile proposita;*
- 3) *si, in gradu appellationis, instantia renuntiata sit ad normam can. 165 vel perempta ad normam can. 161;*
- 4) *si lata sit sententia definitiva, a qua non datur appellatio ad normam can. 286.*

— Suggestum est ut ex n. 1 expungantur verba « firmo praescripto can. 307 » et canon initio ita redigatur: « *Res iudicata, exceptis causis de statu personarum, habetur: 1º ... 2º ...* ».

Consultores, substantiam huius suggestionis recipientes, ita canonem mutant:

« Firmo praescripto can. 307, res iudicata habetur: 1º ... 2º ... ».

— Aliquis Consultor proponit ut in n. 3 dicatur: « *si in gradu appellationis instantia perempta sit vel eidem renuntiatum fuerit* » (placet omnibus).

Adunatio diei 16 decembris 1978

Can. 298 (CIC 1904)

§ 1. *Res iudicata firmitate iuris gaudet nec impugnari potest directe nisi ad normam can. 299, § 1.*

§ 2. *Facit ius inter partes et dat actionem iudicati atque exceptio-*

nem rei iudicatae, quam iudex ex officio quoque declarare potest ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.

— Nonnulli proposuerunt ut initio canonis resumantur verba CIC « *Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta, nec impugnari ...* ».

Propositio non placet Consultoribus.

* * *

Suggestum est ut transferantur in hunc locum, sub art. 1 de re iudicata, cann. 307 et 308, suppresso consequenter art. 4 « *De causis de statu personarum* », qui his duobus tantum canonibus constat. Propositio haec omnibus placet, quia materia illorum canonum stricte conexa est cum re iudicata, imo illi canones agunt *de re iudicata sui generis*. Examinantur ergo cann. 307-308.

Can. 307 (CIC 1903)

§ 1. *Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum, haud exceptis causis de coniugum separatione.*

§ 2. *Appellatio in his causis nullo termino praefinitur; proposita autem post terminum, de quo in can. 287, exsecutionem sententiae non suspendit, nisi aut lex aliter caveat aut tribunal appellationis ad normam can. 310 § 3 suspensionem iubeat.*

— De sententia alicuius organi consultationis, cavendum est de casu quo quis nullitatem sui matrimonii sententia vel decreto finali declaratam habuit et legitimo suo utens iure novas init nuptias. Si alter coniux in priori matrimonio declarato nullo, appellatione interposita in re quae non transit in iudicatam, et pro qua nullo termino praefinitur appellatio, sententiam huic priori matrimonio faventem forte obtinet, in dubio saltem manet eius « *status* », quoadusque res absolute definiatur.

Item iisdem de causis aliquis suggestit ut can. 307 § 1 ita redigatur: « *causae de statu personarum, haud exclusis causis de coniugum separatione, transeunt in rem iudicatam ad normam can. 297, salvis casibus et effectibus de quibus in can. 308* ».

Unus Consultor vellet tales casus considerare et illis obvenire statuendo ut in quibusdam causis de statu personarum non concedatur actio postquam aliquod temporis spatium transactum sit. Sed alii Consultores sunt contrarii.

— De § 2 animadvertisunt quidam principium aliquod anteprocesuale continere cum dicat appellationem in causis de statu personarum nullo termino praefiniri. Re quidem vera pro appellatione servanda sunt normae ordinariae; termino vero ad proponendam appellationem transacto, si nova adsint argumenta nova causa fieri debet.

Cum plures Consultores idem sentiant, aliquis Consultor proponit ut § 2 deleatur. Haec propositio omnibus placet.

Can. 308 (novus)

§ 1. *Si duplex sententia conformis, ad normam can. 297 n. 1, in causa de statu personarum prolata sit, potest quovis tempore ad tribunal appellationis provocari, novis iisque gravibus probationibus vel argumentis intra peremptorium terminum triginta dierum a proposita impugnatione allatis, et servatis de cetero quae de appellatione cann. 287-290 statuunt. Tribunal autem appellationis intra mensem ab exhibitis novis probationibus et argumentis debet, servatis normis de processu summario, decreto statuere utrum nova causae propositio admitti debat necne.*

§ 2. *De provocatione ad superius tribunal ad novam causae propositonem obtinendam servanda sunt praescripta cann. 291 § 2, 292, 293 §§ 1-2, 296 de appellatione. Provocatio autem exsecutionem sententiae non suspendit, nisi aut lex aliter caveat aut tribunal appellationis ad normam can. 310 § 3 suspensionem iubeat.*

— Consultor quidam crism movet de verbis « si duplex sententia conformis ... prolata sit », quia talis duplex sententia est unus tantum casus rei iudicatae; oportet locutionem ampliorem adhibere ita ut per ipsam significantur omnes casus rei iudicatae qui recensentur in can. 297. Alii Consultores autem preeferunt ut non mutentur illa verba.

— Suggestum est ut ex § 1 expungantur verba « ad normam can. 297 § 1 » et etiam verba « et servatis de cetero quae de appellatione cann. 287-290 statuunt », quae omnia superflua videntur (placet omnibus).

— De sententia alicuius organi consultationis deleri debent in § 1 verba « servatis normis de processu summario », quia in § 2 aliter proponitur cum remissio fiat ad can. 296 (placet omnibus).

— Consultores decernunt ut § 2 ita redigatur: « Provocatio ad superius tribunal ad novam causae propositonem obtinendam, exsecutio-

nem sententiae non suspendit, nisi aut lex aliter caveat, aut tribunal appellationis ad normam can. 310 § 3 suspensionem iubeat ».

— Nonnulli proposuerunt ut addatur § 3 qua edicatur non dari appellationem nec aliam impugnationem contra reiectionem novae causae propositionis, neque introductionem novae causae propositionis admitti ubi pars, post duplum affirmativam, novas nuptias contraxerit.

Propositio Consultoribus non placet.

Art. 2

DE IMPUGNATIONIBUS ADVERSUS REM IUDICATAM

Can. 299 (CIC 1905)

§ 1. *Adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, datur restitutio in integrum.*

§ 2. *De iniustitia autem manifesto constare non censemur, nisi:*

1) *sententia ita probationibus innitatur, quae postea falsae deprehensae sint, ut sine illis probationibus pars sententiae dispositiva non sustineatur;*

2) *postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contraria decisionem exigentia indubitanter probent;*

3) *sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;*

4) *legis substantialis praescriptum evidenter neglectum fuerit;*

5) *sententia aduersetur praecedenti decisioni quae in rem iudicatam transierit.*

— Suggestum est ut inscriptio art. 2 sit « De restitutione in integrum », quia tantum de hoc instituto sermo fit in canonibus (placet omnibus).

— Aliqui proposuerunt ut in § 1 addatur quod in tali casu non datur querela nullitatis. Propositio non placet quia id non indiget declaratione, cum querela nullitatis supponat sententiam vitio aliquo nullitatis esse infectam.

— Suggestum est ut in § 2, n. 2 dicatur « probationes » loco « documenta ». Suggestio non placet, quia hoc modo norma nimis lata fieret.

— De sententia quorundam organorum consultationis locutio « lex substantialis » non est clara et non eandem significationem in variis

regionibus habet. Attenta hac ratione Consultores decernunt ut in n. 4 dicatur: « *legis non mere processualis praescriptum ...* ».

Can. 300 (CIC 1906)

§ 1. *Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 299, § 2, nn. 1, 2, 3 petenda est a iudice qui sententiam tulit, intra tres menses, a die cognitae falsitatis vel doli computandos.*

§ 2. *Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 299, § 2, nn. 4 et 5 petenda est a tribunali appellationis, intra tres menses a notitia publicationis sententiae, servatis de cetero quae de appellatione statuunt cann. 287-290; quod si in casu de quo in can. 299, § 2, n. 5, notitia praecedentis decisionis serius habeatur, terminus ab hac notitia decurrit.*

§ 3. *Si is, qui ius habet petendi restitutionem in integrum, nondum vicesimum secundum aetatis annum expleverit, cum termini, de quibus in §§ 1 et 2, elabuntur, termini ipsi ad vicesimum secundum aetatis eius annum expletum prorogantur.*

— Relator proponit ut in § 1 dicatur: « ... intra tres menses, a die cognitionis eorundem motivorum, computandos » (placet omnibus).

— Consultoribus placet delere verba « servatis de cetero quae de appellatione statuunt cann. 287-290 », quae habentur in § 2, quia superflua videntur.

— Ex suggestione alicuius organi consultationis, § 3 ita redigitur: « Pro minoribus termini de quibus supra ab adepta maiore aetate computantur ».

Can. 301 (novus)

Restitutio in integrum ne concedatur nisi auditis partibus.

— Suggestum est ut hic canon deleatur quia superfluus.
Propositio placet Consultoribus, duobus tantum exceptis.

Can. 302 (CIC 1907)

§ 1. *Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.*

§ 2. *Si tamen suspicio sit ex probabilitibus indicis petitionem factam esse ad moras exsecutioni necendas, iudex decernere potest ut sen-*

tentia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat.

De hoc canone nulla facta est animadversio.

Proponente aliquo Consultore, additur novus canon qui erit can. 302 bis his verbis redactus: « Concessa restitutione in integrum, iudex pronuntiare debet de merito causae ».

Art. 3

DE OPPOSITIONE TERTII

Can. 303 (CIC 1898)

Qui ex sententia definitiva inter alios lata, quae ad normam can. 310 exsecutioni mandari possit, suorum iurium laesionem verentur, sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare possunt.

Can. 304 (CIC 1899 et 1900)

§ 1. *Oppositor fieri potest vel postulando revisionem sententiae a tribunali quod eam tulit, vel provocando ad tribunal appellationis.*

§ 2. *Si petitio admissa fuerit, et oppositor agat in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram tribunali quod sententiam tulit, servanda sunt regulae datae pro causis incidentibus iudicialiter definiendis.*

Can. 305 (CIC 1899)

§ 1. *Oppositor in quolibet casu probare debet ius suum revera esse laesum aut laesumiri.*

§ 2. *Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia, quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praecidicio sit affectura.*

Can. 306 (CIC 1901)

Si oppositor ius suum probaverit, sententia antea lata reformanda est a tribunali secundum oppositoris petitionem.

— Aliquis Consultor proponit ut art. 3 de oppositione tertii delea-

tur, quia ratio huius oppositionis contra rem iudicatam, quod quis nempe suorum iurum laesionem veretur, non videtur tam cogens ut concedi debeat remedium aliquod extraordinarium, praeter remedia ordinaria quae conceduntur per canones de interventu tertii in causa.

Praeterea, addit alter Consultor, etiam tertio interesse habenti, patet via petendi restitutionem in integrum.

Alii Consultores concordant, uno tantum excepto, et ideo cann. 303-306 supprimuntur.

TITULUS X

DE EXPENSIS IUDICIALIBUS ET GRATUITO PATROCINIO

Can. 309 (CIC 1908-1916)

Lex particularis debet normas dare:

- 1) *de partibus damnandis ad expensas iudiciales aliis partibus vel tribunal restituendas;*
- 2) *de procuratorum, advocatorum, peritorum et interpretum honorariis;*
- 3) *de gratuito patrocinio et exemptione ab omnibus expensis, pauperibus concedenda qui impares omnino sint expensis iudicialibus sustinendis; deque expensarum deminutione, iis concedenda qui ex parte tantum impares sint;*
- 4) *de damnorum refectione, quae debetur ab eo qui, non solum in iudicio succubuit, sed temere litigavit.*

— Ex suggestione cuiusdam organi consultationis, omnibus Consultoribus placet ita canonem redigere:

« § 1. Episcopus cuius est tribunal moderari statuat normas pro dioecesi vel regione propria:

- 1) *de partibus damnandis ad expensas iudiciales solvendas vel compensandas;*
- 2) *de procuratorum, advocatorum, peritorum et interpretum honorariis deque testium indemnitate;*
- 3) *de gratuito patrocinio vel expensarum deminutione concedendis;*

- 4) de damnorum refectione partibus imponendis;
- 5) de pecuniae deposito vel cautione praestanda circa expensas solvendas et damna reficienda.

§ 2. A pronuntiatione circa expensas, honoraria et damna reficienda non datur distincta appellatio, sed pars recurrere potest intra quindecim dies ad eundem iudicem, qui poterit taxationem emendare » (F. VOTO, *Actuarius*).